

**A** extinguat: & me sic in tenebris abditum sepeliat, vt perinde obliuioni tradat, atque mortui illi, qui ante seculum ex hac vita excesserunt, quorum nulla superest amplius memoria. Sunt qui hanc particulam, *Collocat me in tenebris instar mortuorum seculi*, de eo intelligant, quod propter iniquitatē Shaulis in speluncis & latebris, obscuris perinde ac si in mortuorum sepulchris iacēret, latitare cogebatur.

*Et perplexus est in me spiritus meus:*] Postquam causam exposuit, ob quam audiri petat à Domino, iam de angustijs ac molestijs, quas in illa perpetiebarur, subiicit. & simul intermiscet, quid à Domino speret ac petat. Primum aperit, quā sit in ea tribulatione spiritu & corde turbato ac deiecto. *Et perplexus est*, inquit: id est, meru & angustijs inuolutus *spiritus meus*: & *cor meum desolatum est*: id est, omnibus viribus priuatam ac destitutum.

*Recordor dierum pristinorum.*] Declarat hoc versu, quas cogitationes in animo suo adflicto ac perturbato voluerit. *Recordor*, inquit, *dierum pristinorum*, vel *antiquorum* & *meditor de omnibus factis tuis*. Loquitur de illis tēporibus, quibus populo suo Deus, ac patribus illorū multis ac magnis beneficijs illustrissimè, & in omnibus euentibus opē tulerat. Hęc beneficia Dei, vocat *facta* & *opera manū Dei*, propterea quod tam sunt illustria & luculenta, vt non solum diuina se, sed velut ipsis manibus Dei facta esse testentur. De illis cogitabat animo anxio, vt sese illorum recordatione non nihil erigeret.

*Expando manus meas ad te.*] Hoc est, Ad te cōfugio, opem tuam imploro, totum me fidei tuę trado, & suppliciter commendo. Quid enim aliud est, *manus ad Deum extendere*, quā illi sese supplicem sistere, & ad opem illius, more filij periclitantis, & ad Patrem suum suspicientis, & auxilium implorantis, confugere? Illud, *Anima mea in terra siticulosa ad te*, bifariam vt legitur, ita & exponitur. Sic legatur, *Sicut terra siticulosa*, metaphorica loquutio est, hoc sensu posita: *Anima mea prorsus exinanita & deficiens, terra siticulosa & arida*, similis, ad te *anhelat & suspirat*. Si verò quemadmodū verti, legatur: *Anima mea in terra siticulosa*: intelligendum est de solitudine in qua exultabat, quæ terra siticulosa est & arida, e qua ad Dominum suspirabat & vociferabatur.

*Propera, responde mihi Domine.*] Significat periculi magnitudinem, qua sit in externum discrimen coniectus, sic vt festino opus habeat auxilio. Exprimit hoc etiam sequentibus, dicens: *Deficit spiritus meus, ne abscondas faciem tuam à me, & ne similis reddar descendentibus in foueam*. Quasi dicat: Nisi properanter succurreris, actū de me est. Nam spiritus meus prorsus in extremis est, vt mox similis sim futuris illis, qui moriuntur, & sepulchris sunt vicini, nisi facie præsentię & auxiliij tui opem tuleris.

Illud, *Et ne similis reddar descendentibus foueam*, etiam sic legi potest: *Et similis factus sum descendentibus in foueam*: pro Nam *similis factus sum*, &c.

**B** *Fac me manē audire benignitatem tuam.*] Hinc ad finem vsque Psalms primū quędam petit, deinde & quędam adijcit, quibus quasi petitorum rationes exprimit. Hoc versu duo petit. Vnum, vt detur sibi *audire benignitatem Dei*, id est, manē: hoc est, vt benignum ac placidū responsum primo quōq; tempore à Deo recipiat. Alterum, vt doceatur, qua via tutò possit inimicorum euadere insidias, ne in manus illorum incidat. Hisce velut rationes annectit, dicens: *Quoniam in te spero*. Item: *Quoniam ad te leuo animam meam*: id est, Vota cordis mei, ad te suspirantis. Sic versu 9. liberari ab inimicis petit: & addit: *Ad te protegendus confugi*, quod idem est cum præcedentibus. Q. d. spero in te, suspiro ad te, confugio ad te, quo protegar, noli me negligere. Et versu 10. *Doce me*, inquit, *facere voluntatem tuam*: id est, Dirige me secundum voluntatē tuam in isto discrimine: effice, ne quid tentem, quod sit præter voluntatē tuam. Tale est & illud quod subiicit: *Spiritus tuus bonus ducat me in terram planam*: hoc est, Gratia spiritus tui suggerat mihi rationes ac vias, quibus ex istis periculosis latebris in loca plana & secura euadere possim. Immiscet rationis vice: *Quoniam tu Deus meus es*. Q. d. Quoniam præter te neminem habeo, in quem sperem, ad quem confugiam, & qui me eripere possit. Tu Deus meus es, succurre igitur periclitanti. Et versu 11. orat, vt *uiuificetur*: id est, recreetur. id quod sequenti particula declarat, dicens: *Educ ex angustia animam meam*. Nam vt anima angustijs pressa velut mortua, ita ex angustijs educta, quasi viuificata videtur. Adnectit rationes. *Propter nomen tuum*, inquit: & *Pro iustitia tua*. Et versu vltimo inimicis exitium imprecatur. *Dissipa*, inquit, *inimicos meos*. Item, *Perde omnes qui tribulant animam meam*. Et hęc quoque rationes attexit: vnam, ex benignitate Dei: alteram ex eo, quod esset seruus Dei, sumptam. *Propter benignitatem tuam*, inquit, *dissipa inimicos meos*. Loquitur de benignitate Dei, qua erga se adflictum, non erga inimicos suos erat præditus: significans, impiorum perditionem opus fore diuinę benignitatis, quo sibi & alijs adflictis consulatur.

*Domine audi orationem meam.*] Vide supra Psalms 54. versu 2. & Psalms 102. versu 1. quid sit hęc obseruanda.

*Pro fide tua, pro iustitia tua.*] Aliquoties memini, obseruandum esse istam *fidei & iustitię* coniunctionem, præsertim in Deo. *Iniustitia* perfidiam; *iustitia*: id est, vera animi probitas, fidem habet coniunctam. Sequitur ergo, veram ac stabilem fidem & amicitiam non reperiri in reprobis & iniustis: sed in iustis duntaxat, & in Deo potissimum.

*Et ne intres in iudicium cum seruo tuo.*] Obseruemus hęc, quod Prophetę *iudicij Dei* in mentem venit, oām orando exaudiri, & è tribulationibus liberari peteret. Id nihil erat aliud, quā conscientię suę morsum, & proprię impuritatis sensum experiri. Sic solet orantibus conscientia peccati negotium facefcere, & fiduciam impetrandi infirmare.

Deinde notandum est quomodo in ea se tentatione gerat. Perpendit secum ipse iudicij Dei seueritatem: ideoque periculum illius deprecatur, dicens: *Ne intres in iudicium cum seruo tuo*. Hoc autem quid aliud erat, quā seipsum proprio iudicio damnare ac reum constituere? Necessè siquidē est, agnoscat

Vers. 4.

Vers. 5.

Vers. 6.

Vers. 7.

Vers. 8. 9. 10.  
11. & 12.OBSER.  
Vers. 1.OBSER.  
Vers. 2.